

cap. 108 Quod papa est dominus temporalis et imperator similiter.

Sic accidit de imperio mundi sicut de agro. Videmus enim quod in uno agro rusticus habet dominium utile, burgensis, a quo tenetur in feudum, habet dominium dirrectum: milles bassum, rex altum. Eodem modo ^{a)} est de imperio id est de universali dominio totius mundi ¹⁾, quia sumus pontifex est imperator quantum ad auctoritatem et executionem, quam non exercet, imperator quantum ad executionem immediatam, quam exercet, licet sit auctoritas delegata per papam. Alii reges in suis particularibus regnis partem imperii occupant sub diversis titulis; quod autem papa plenariam auctoritatem habeat ^{b)} super imperium sic probatur: posse distituere et instituere sunt actus perfecti domini ²⁾; sed papa imperatorem Grecorum imperio privavit et Karulum magnum absque ulla electione pro solo suo libitu imperatorem instituit ^{c)} ³⁾; ergo est perfecte dominus imperii. Ista ratio fortificatur sic ⁴⁾: papa transtulit imperium de Grecis ad Germanos; aut potuit de iure transferre aut non. Si potuit, habeo propositum scilicet quod est dominus imperii; si non potuit, ergo Karulus magnus numquam fuit imperator, quia illud possumus quod de iure possumus; et sic sequeretur, quod in Alamania numquam fuerit imperium nec aliquis imperator. Unde quando aliquis imperator dicit, quod papa non est imperii dominus, confitetur se non esse imperatorem verum sed tyrannum. Unde dicitur in decreto di. «lxxxvi.» ⁵⁾, quod Gelasius ^{d)} papa dixit imperatori: 'Nos ex te non dependemus, sed tu ex nobis dependes.' Sic ergo patet quod papa habet utrumque gladium, scilicet temporalem et spirituales equaliter a Christo quoad iurisdictionem in temporalibus et spiritualibus. Sed ^{e)} sic transfert iurisdictionem temporalem, quod ab eo tenetur et recognoscitur simpliciter ^{e)}; quod facere tenentur omnes principes de iure, licet aliqui hoc facere renuant ^{f)} ⁶⁾. Unde Bonifatius VIII reprehendit omnes principes non recognoscentes eum suum dominum in temporalibus, dicens in decretali ^{g)} extravagante *Unam ecclesiam* ⁷⁾, ubi in fine sic concludit: 'Porro subesse romano pontifici ^{h)} omni humane creature declaramus esse de necessitate salutis'; infra capitulo sequenti. Secundus dominus imperii est imperator, qui habet imperii executionem, id est tantum potest quantum papa mandat aut permittit. Et hoc clare in eius coronatione apparet ⁸⁾, quia gladium in vagina involutum papa de altari beati Petri accipit et tribuit imperatori, qui gladium ex vagina extrahit et tribus vicibus vibrat, ex quo datur intelligi, quod auctoritas et dominium temporalium est ecclesie sed executio est imperatoris. Tertius dominus imperii fuit Nero et alii ydollarum, qui non fuerunt imperatores nec quantum ad auctoritatem nec quantum ad executionem, nisi de facto, quia ydollarum imperator esse non potest, ut probatum est capitulo CV ⁱ⁾. Cum ergo Constantinus magnus existens ydollarum imperium arripuerit, imperator

cap. 108 a) om. B b) habeat plenariam auctoritatem tr. W c) constituit W d) Gregorius BW e) om. W f) renuantur B g) decretali N, d'c' W, decreto B h) summo pontifici romano B i) CVIII BW

1) Vgl. CM cap. 349 und Petrus de Palude, Tract. de pot. papae 159, 25 ff. 2) Vgl. GA cap. 190; CM cap. 346, 353 und 570. 3) Vgl. GA cap. 184 und 235 nach Anm. 10. 4) Vgl. CM cap. 353 und 570; ferner Guido Vernani, De pot. summi pont. cap. 10 (Bononiae 1746) S. 77. 5) Vgl. D. 96 c. 10. 6) Sed — renuant vgl. Petrus de Palude, Tract. de pot. papae 209, 31—34. 7) Extrav. Comm. 1. 8. 1. 8) Vgl. CM cap. 349 und Tholomeus von Lucca, DC 17, 30 ff. (nach Eger cui lenia); ferner Jakob von Viterbo, De reg. christ. 2, 8 S. 265 und Alexander a S. Elpidio, De eccl. pot. II 8, 17 S. 25.